ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Vir,

Quandoquidem necessario Celsissimi Arausionum principis impedimento Nobilissimae Amplitudini tuae Bredam reverti, ibique humillime decretae commendationis officio apud Amplissimum Magistratum defungi non contigit: vehementer etiam atque etiam à Nobilissimis viris D. D. Satrapa et praeside, nominis mei restaurationem anhelantibus, sum admonitus, ut Nobilissimam Amplitudinem tuam suppliciter ac demisse rogarem, ne ad primam commendationem novae et ardentioris cumulum adjicere gravaretis. Quanquam autem diu multumque me deliberatio tenuit, utrum hoc facere auderem, quod superiorum molestiarum verecunda memoria facile deterrebat Nobilissimae Amplitudini tuae novam et recentem exhibere; simulque pertimescebam, ne ex inhumanissimo literariae commendationis tuae neglectu tristius aliquod novae instituendae pectori tuo insedisset: tamen cum suavissimam indolem, amoris et benevolentiae erga me tuae mentionem animo meo aspexerint, nescio qua credulitate mihi blandiri coepi, futurum ut etiam altero graviori intercessionis tuae honorario me in tempore adauctum sentias; praesertim cum iam ex multorum sermonibus audivi, quosdam è Magistratu priorem neglectus culpam et inhumanitatem promptissimo humanissimoque obsequio et suffragatione lituros paratos esse. Quare, quod commodo et honori Nobilissimae Amplitudinis tuae fiat, gratiam, suadam et authoritatem tuam supplex imploro, adjuro, atque obtestor, ne patiare innocentissimum tuum clientem, sola invidia gradu Rectoratus deturbatum, diutius afflictum abjectumque iacere; sed cum praesenti et salutari commendationis tuae manu erigere, erectum restituere, restitutum fidelissimo favoris et benevolentiae patrocinio ab ulteriore ignominia servare ac defendere digneris. Vale Vir Nobiliss. teque amicum, patronum ac defensorem meum plurimum habere jubeo.

Dab. Bredae 6. Aug. an. 1647.

Nobilissimae Amplitudinis tuae
cultor observantissimus
Adrianus Bubbenius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

Nobiliſsimo Clariſsimoq; Viro

Dnō. Conſtantino Hugenio,

Equiti; Domino in Zulichem,
et Celſiſsimo Arauſiorum Principi
à conſilijs et Secretis.

Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639